

OTTO I. COMES AB ANHALT.



O Tto ex illustri familia comitum à Ballēstedt prognatus fuit. Is multis uirtutibus insignis adeò inclaruit, ut Magnus Saxoniæ dux ei filiam suam uxorem daret, altera uerò Guelphoni duci Bauariæ despōsata fuit, ex qua Heinricus Leo potentissimus Saxoniæ dux prognatus. Otto autem in familiæ sue memoriam Benedictinis monachis monasteriū Ballingstedt fundauit, atq; ipse sese ad arcem Anhalt cum sua uxore & familia cōtulit. ab eo loco sese comitē de Anhalt cognominauit, atq; illustrem familiam de se reliquit. Eius enim filius Albertus (cognomento Vrsus dictus) Brandenburgensis Marchio creatus fuit, atq; plurima bella cum Heinrico Leone ob ducatum Saxoniæ gessit. Tandem uerò huius Alberti filius, et Ottonis nepos Bernardus, à Friderico Barbarossa Saxoniæ primus dux ex ea familia cōstitutus fuit, id quod suo loco declarabitur. Otto uerò Heinrico Cæsari fortiter adfuit, atq; Vandaloſ ei repugnantes prælio superauit. Alb. Crantz, in Saxo, lib. 5, cap. 25. & 36.